

intelligit, quid sit Te amare, quiq; amore tuo languet. Dum vero Te
Amorem meum, inter salubres aegritis, ruinosi, ventorumq; flatib; undiq;
per vii tuguridi cannas ac pecorum anhelitus in praesepe Bethlehemitico,
invenio, inq; amplexu tuo totq; collinquesco, non possum non & SALVE me-
um attonitus, in felix tuum et ante omnia secula delectum praesepe, quod
nunquam sanctiorem incolam habuit, quod nunquam digniorem sarcinam,
nunquam divinius onus pertulit, quodq; nunquam sacratius corpus tetigit,
diffeminare. Salve igitur dulcis vereq; divina praesepe! Salve unicum sa-
lutis nostra receptaculum! Salve firmissimum beatitudinis propugnaculum
Pignus gratiae, tegumentum amoris! Securitatis asyllum praesepe Salve!
Salve finis felicitatis! Salve pacis tessera! Salve coeli hospitium!
Salve aeternitatis habitaculum! Salve virtutum scena! Salve arca
sapientiae! Salve scientiarum armarium! Salve repositorium artium!
Certè, quicquid usquam est deliciarum, quicquid opum, quicquid felici-
tatis, quicquid potentiae, quicquid eruditionis aut scientiarum in uno se-
culi mei receptaculo est reconditum.

Dormi IESU E o mellite,
Dormi plene saccharo,
Dormi mea mea vita,
Casto natus utero.
Dormi sapor & dulcedo,
Dormi mea gloria:
Quicquid vis ea tibi cedo,
Inter haec praesepe.

Ne quid desit, sternam rosis,
Sternam foenum violis,
Pavimentum hyacinthis,
Et praesepe liliis.
Dormi coeli musto plene,
Dormi pleny nectare.
Dormi, dormi, & dormi bene,
Dulci caram murmure.

Abrah. Fridr. Nicius
Gotic. Hecapolitang.